

catechumenis, ut baptizari possint, totum Sybolum tradit, et exponit, neque usquam meminit fiduciæ specialis misericordiae.

Idem faciunt Gregorius Nazianzenus, Oratione in sanctum Lavacrum extrema, et in tractatu de fide Nycæna; Chrysostomus in duabus homiliis de Symbolo, Eusebius Emisissenus in homiliis item duabus de Symbolo, Ruffinus, in explicatione Symboli, Augustinus, in lib. de Fide et Symbolo, in lib. de Genesi imperfecto, cap. 1. Et in Enchiridio per multa capita; Fulgentius, in lib. de fide ad Petrum, et auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui omnes, cum Symbolum explicant, tum profitentur, ea omnia se docere, quæ ad fidem Christianam pertinent; et tamen nemo est eorum, qui vel semel specialis istius fidei Lutheranorum meminerit.

Sed placet ex Augustino, et qui eum secuti sunt, Prospero, Leone, atque Fulgentio, verba ipsa proferre. Igitur Augustinus in Enchiridio, cap. 2. dicit, Deum fide, spe et charitate coli, et cap. 5. dicit, mentem imbui debere fide, ut bene vivendo tendat ad speciem. Et cap. 7. dicit, salutem his tribus acquiri fide, et spe, et charitate. Nam quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit: sed non potest invocari nomen Domini nisi prius credatur; ideo fides credit, spes et charitas orant. Ex quibus locis manifeste colligimus eum loqui de fide justificante et salvante.

De hac igitur fide justificante, mox cap. 8. docet, eam distingui a spe, ac per hoc etiam a fiducia non solum nomine, sed etiam objecto, unde sumitur ratio propria, essentialique virtutem. « Est (inquit) fides et malorum rerum et bonarum, quia et bona eruduntur et mala, et hoc fide bona non mala. Est etiam fides et præteritarum rerum, et præsentium, et futurarum. Credimus enim mortuum Christum, quod jam præterit, credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est, credimus venturum ad judicandum, quod futurum est. Item fides et suarum rerum est et alienarum. Nam et se quisque credit aliquando cœpisse, nec fuisse utique sempiternum, et alia atque alia: nec solum de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verum etiam de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cum ita sint, propter has causas

distinguenda erit fides aspe, sicut vocabulo, ita et rationabili differentia ».

Idem Augustinus in lib. III. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 5. « Nostra (inquit) fides, hoc est, catholica fides, justos ab injustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit. Quia justus ex fide vivit ». Ubi sanctus Augustinus loquitur de fide justificante, quæ discernit justum ab injusto, et dicit, eam fidem esse Catholicam, id est, fidem dogmaticam, communem toti Ecclesiæ, non specialem illam, quæ ejus tantum est, qui credit, vel confidit sibi remissa esse peccata. Et paulo infra, dicit, hanc fidem, esse fidem rectam, quæ hæresi opponitur, et ratione cujus melior est mulier his nupta catholica, quam virgo hæretica. Ubi sine dubio per fidem justificantem intelligit fidem, qua creduntur articuli et dogmata omnia sine ulla permixtione perfidiae.

Sanctus Leo ser. 4. de Epiphania: « Hoc est (inquit) quod justificat impios, hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo, et vera Deitas, et vera credatur humanitas ». Sanctus Prosper in lib. 1. de vita contemplativa, cap. 18. enumerat breviter summam fidei de Trinitate et Incarnatione. Deinde cap. 19. hanc ipsam dicit esse fidem justificantem: « Qui non crediderit (inquit) habendo fidem, nec justitiam cordis habere poterit, nec salutem ».

Sanctus Fulgentius, in libro de Fide ad Petrum, in ipso prologo, loquens de fide Catholica et dogmatica, quam in toto eo libro exponit: « Gaudeo (inquit) quod pro fide vera, sine ullo perfidiae vitio custodienda sollicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imo nec esse conversio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia sine fide impossibile est placere Deo. Fides namque est honorum omnium fundamentum, fides est humanæ salutis initium. Sine hac fide, nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire: quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam ».

Sanctus Bernardus, multis in locis hoc docet, sed unum in præsentia nobis citasse sufficiet, serm. 6. in vigilia Nativitatis, cum loqueretur de fide Incarnationis, et aliorum mysteriorum: « Beati (inquit) qui non viderunt, et crediderunt. Pars nostra hæc in verbo vitæ; nec sane contemptibilis, ex qua nimirum vivitur, et qua vincitur mundus,

quoniam justus ex fide vivit: et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Hæc est, quæ velut quoddam æternitatis exemplar præterita simul et præsentia, ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit ». Ubi fidem justificantem dicit, complecti præterita, præsentia et futura, quia credimus omnes articulos a Deo revalatos, quorum alii sunt de rebus præteritis, alii de præsentibus, alii de futuris.

## CAPUT X.

## Probatur idem rationibus.

Postremo, manifestis rationibus potest fides ista specialis explodi.

Prima ratio. Fides (ut ipse etiam docet Calvinus) in nihil aliud collimare debet, nisi in verbum Dei. Non enim potest esse certa et infallibilis, nisi ejus auctoritate nitatur, qui nec falli potest, nec fallere: at in verbo Dei nusquam reperitur annunciata salus, vel remissio peccatorum mihi, aut illi in particulari, exceptis quibusdam paucis, ut paralytico, cui dictum est Matth. IX. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua;* et peccatrice, de qua dictum est Lucæ VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et fortasse adultera, cui dictum est Joan. VIII. *Vade, et jam amplius noli peccare.* Et Zachæo, de quo dictum est, Luc. XIX. *Hodie salus huic domui facta est, eo quod et ipse sit filius Abraham.* Et latrone, cui dictum est Luc. XXIII. *Hodie tecum eris in Paradiso* (1). Non igitur possunt reliqui homines credere, nisi omnino temere, tamquam ex verbo Dei sibi remissa esse peccata.

Respondent, specialem promissionem contineri in generali: nam qui dixit Joan. III. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam;* significavit omnes qui credunt, hoc est, illum, et illum, qui credit, habere vitam æternam. Pari ratione qui dixit Actor. XIII. *In hoc omnis, qui credit, justificatur.* Et Rom. III. *Justitia Dei per Fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum;* significavit, omnes et singulos, qui credunt, justificari.

Sed hæc responsio multis nominibus peccat. Primum enim nusquam dicit Scriptura, qui credit sibi remissa esse peccata, habet

vitam æternam, aut justificatur; sed qui credit in filium, habet vitam æternam, vel justificatur. Quod autem credere in filium, sit credere sibi remissa esse peccata per filium, non habent adversarii ex verbo Dei, sed ex interpretatione sua; proinde non possunt id facere objectum fidei, nisi velint ex verbo suo facere verbum Dei.

Adde, quod interpretatio ipsorum tantum abest, ut sit verbum Dei, ut etiam repugnet verbo Dei. Nam idem Joannes, qui scripsit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam;* scripsit I. Joan. V. (2). *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.* Et infra: *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius Dei* (3)? Itaque credere in filium, ipso interprete Evangelista Joanne, est credere, quod Jesus sit filius Dei, et Christus. Sic etiam B. Paulus, qui scripsit: *in hoc omnis qui credit justificatur, et justitia in omnes qui credunt in eum.* Idem explicuit verba sua, cum ait ad Rom. X. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris* (4). Itaque non modo non habentur in Scriptura illæ particulares propositiones, quas adversarii certa fide se tenere profitentur, videlicet, Lutheri, aut Calvinus remittuntur peccata; sed neque habetur illa generalis: Omnis qui credit sibi per Christum remissa esse peccata, justificatur.

Deinde peccant adversarii etiam in eo, quod ex antecedente conditionato colligunt conclusionem absolutam. Nam illæ propositiones: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Et: *In hoc omnis qui credit justificatur,* conditionatæ sunt, ac si dictum esset, Si quis credit in filium, is habet vitam æternam: Et si quis in Christum credit, justificatur. Ita enim explicat Apostolus ad Roman. X. *Si credideris in corde tuo etc.* Et Philippus Actor. VIII. *Si credis ex toto corde etc.* (5).

Ex his autem conditionatis propositionibus recte colligitur conditionata conclusio, igitur ego, si credo, habeo justificationem, et vitam æternam. Absoluta vero conclusio, quam adversarii volunt, requirit assumptionem absolutam, videlicet illam, Atqui ego credo in Filium. Quæ assumptio absoluta non est in verbo Dei, sed in opinione mea.

(1) Matth. IX, 2; Luc. VII, 47; Joan. VIII, 41; Luc. XIX, 9; Luc. XXIII, 43. — (2) Joan. III, 36; Act. XIII, 39; Rom. III, 22. — (3) I. Joan. V, 1. — (4) Rom. X, 10. — (5) Act. VIII, 37.

Opinio autem ista mea non solum non est verbum Dei, sed etiam fallax esse potest. Nam si omnis, qui existimat se credere, re vera crederet, sicut oportet, hæretici omnes, quantumvis inter se contrarii, recte crederent et salvarentur. Quis enim unquam hæreticus fuit tam absurdus et deploratus, qui se non arbitraretur rectissime credere? certe Lutherani, qui Calvinianos et Anabaptistas pro hæreticis habent, ne cogantur fateri, illos recte credere, non possunt admittere, omnes illos re vera credere, qui arbitrantur se credere: quod idem Calviniani et Anabaptistæ eadem de causa non admittent.

Adde quod secundum Scripturas, non satis est, quocumque modo credere, sed oportet toto corde credere, ut dicitur Actor. viii. Et quemadmodum Dominus dicit: *Omnis qui petit accipit*, Lucae xi. Et tamen Jacobus in epistola sua, cap. 4. vere scribit: *Petit et non accipitis, eo quod male petatis* (1). Sic etiam quamvis Scriptura dicat: *Quis credit in filium, habet vitam æternam*, tamen verissime dicere possumus; multi credunt in Filium, et non habent vitam æternam, eo quod male credant. Neque hoc negare possunt adversarii, quippe qui fidem negant esse veram, nisi sit viva, et fructus bonorum operum pariat. At quis est, qui certo affirmare queat, se toto corde, atque ut oportet, credere, et fidem habere vivam, et cum charitate conjunctam?

Denique peccant adversarii in eo, quod existimant, illas propositiones: *Qui credit in filium, habet vitam æternam; in hoc omnis, qui credit, justificatur*; et alias similes, ita esse intelligendas, ut sola fides sufficiat ad justitiam et salutem, quod aperte falsum esse in libro sequenti demonstraturi sumus. Qui enim credit in Filium, habet vitam æternam, si cætera adhibeat, quæ fides ipsa adhibenda demonstrat. Quare tametsi fateamur, scriptum esse in libro Dei, Omnis qui credit sibi remitti peccata, justificatur, et pariter scriptum esse, talis vel talis homo credit, sibi remitti peccata; quæ falsa esse docuimus, adhuc tamen non posset recte colligi, talem illum hominem vere esse justificatum. Proinde fides illa specialis non esset certa, ac per hoc neque divina, neque justificans.

Secunda ratio. Fides justificans præcedere debet justificationem; Fides autem specialis

misericiordiæ sequitur justificationem, Igitur fides specialis misericordiæ, non est fides justificans.

Propositio hujus argumenti certissima est, nam fides est causa justificationis; causam enim significant illæ præpositiones, « ex et per », cum dicitur ad Roman. v. *Justificati ex fide*; et cap. iii: *Qui justificat circumcissionem ex fide, et præputium per fidem* (2). Omnis autem causa prior est effectu. Quocirca S. Augustinus, in libro de spiritu, et littera, cap. 30. hunc ordinem statuit inter actus Justificationis, ut primo loco sit lex, per quam est cognitio peccati; secundo, fides, quæ impetrat gratiam contra peccatum; tertio, gratia, quæ justificat a peccato. Et in epist. 106. et alibi, sæpe repetit, per fidem impetrari remissionem peccatorum, ac per hoc fidem priorem esse justificationem.

Assumptio ejusdem argumenti, nullo negotio demonstratur; nam si fides illa specialis non sequitur justificationem, falsa esse convincitur. Quomodo enim vera fides est, quæ credo mihi remissa esse peccata, si dum ita credo, nondum sunt remissa peccata, sed sunt per hunc ipsum actum postea remittenda? Deinde si objectum hujus fidei est illa propositio: *Mihi sunt per Christum peccata remissa*, certe prior debet esse remissio, quam fides, cum omnis actus pendeat ab objecto, non contra objectum ab actu. Neque multum refert, si quis forte dicat, fide speciali non credi peccata esse remissa, sed remitti in præsens; nam semper remissio est objectum fidei, ac per hoc prius debet esse, quam fides, neque intelligi potest, ut objectum fiat per illum ipsum actum, cujus est objectum, cum objectum det essentiam actui, non actus objecto. Non igitur fides illa justificare potest, quæ justificationem ipsam specialem pro objecto habet.

Tertia ratio. Fides illa specialis, quam adversarii fingunt, esse fidem justificantem, tollit e medio orationem, sacramenta, opera bona, et quidquid aliud ad salutem nostram Deus instituit; non igitur fides justificans, sed fides justificationem impediens, et in exitium, ac perditionem adducens, jure nominari potest. Nam si certo, atque ex fide credere debeo, mihi peccata esse remissa per Christum, quomodo possum cum publicano dicere: *Deus propitius esto mihi peccatori, aut cum Apostolis, et Ecclesia univer-*

(1) Luc. XI, 40; Jacob. IV, 3. — (2) Rom. V, 4; III, 30.

sa: *Dimitte nobis debita nostra, nisi hæsitem in fide, et Deum mendacem efficiam?* cur enim si præcaret a Deo, ut Verbum ipsius caro fieret in utero virginis, infidelis judicaret, et non similiter infidelis merito judicaretur, si petam a Deo remissionem peccatorum, cum non minus certa fide credere debeam, mihi remissa esse peccata, quam verbum carnem in utero Virginis esse jam factum?

Deinde quod opus est baptismo, si per fidem, quæ baptismum præcedere debet, certussum mihi jam remissa esse peccata? Itaque Lutherus satis congruenter ad hanc suam hæresim, de fide speciali scripsit, in libro de baptismo, justificari hominem, qui credit, etiamsi forte is qui baptizat, neque intendat baptizare neque baptizet in nomine Domini. Quodidem dici potest de Sacramento reconciliationis, sive poenitentiae, aliisque remediis peccatorum divinitus institutis.

Quinta ratio, quæ proprie refellit eos, qui volunt fidem justificantem esse fiduciam benevolentiae specialis: nam tametsi fiducia obtinendæ veniæ, qualis esse debet in homine poenitentiam agente, præcedat justificationem; tamen fiducia, qua quis confidit, sibi remissa esse peccata, seque Deo gratum esse, et hæredem regni, de qua loquuntur adversarii, pendet a bona conscientia, et perseverantia in dilectione Dei, et operibus bonis, ac proinde præexigit justificationem, non illam efficit, ac per hoc non est fides justificans, sed aliquid fide justificante posteriorius.

Pendere fiduciam, atque etiam nasci ex bona conscientia, et perseverantia in dilectione, et operibus bonis perspicue tradunt divinæ scripturæ. Psalm. iv. *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*. Ecclesiastici ii. *Dirige viam tuam, et spera in illum*. Osee xii. *Et tu ad Dominum Deum tuum converteris, misericordiam et judicium custodi, spera in Deo tuo semper*. I Joan. ii. *Manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam*. Et cap. iii. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. II Petr. i. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (1).

Sanctus quoque Augustinus in lib. de agone Christiano, cap. 13. « Fides (inquit) est prima, quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi, quibus custodiis spes no-

stra firmatur ». Et tract. 6. in Joannem, docet, fiduciam ex charitate procedere. Vide in eandem sententiam sanctum Joannem Chrysostomum, homil. 3. in Matth.

Quinta ratio, quæ proprie Calvinum respicit: Fides justificans pacem et tranquillitatem animi parit, juxta illud Apostoli ad Rom. v. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum* (2). At fides illa specialis, quam Calvinus docet, perturbationem, et desperationem mentibus adfert. Vult enim Calvinus, fide speciali non solum credi oportere, nobis per Christum remissa esse peccata, sed etiam plane cognosci, nos ad numerum prædestinatorum certo pertinere, et fidem semel habitam amitti non posse, lib. iii. Institut. cap. 2.

At quis (obsecro) talem se fidem habere sperare potest? et si hæc ipsa fides, et sola ipsa justificat, quis justum se futurum esse, aut unquam se fuisse confidet? Falli enim posse eos, qui se prædestinatos, aut nunquam lapsuros arbitrantur, docet apertissime tum experientia, qua videmus quotidie homines labi, tum ipse etiam Calvinus in eodem loco, ubi sic loquitur: « Tot vanitatis recessus sunt, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisis objectum est, ut se ipsum sæpe fallat. At vero qui talibus fidei simulacris gloriantur, intelligant diabolis nihilo se in hac parte præcellere ».

Certe si hæc vera sunt, maxima pars hominum merito de salute desperat. Nam si ex iis, qui statuunt in corde suo se justos ac prædestinatos esse, plurimi falluntur, et cum se Angelis pares arbitrentur, nihilo sunt diabolis meliores, nonne merito omnes formidare debent, ne ipsi sibi imponant? quod si hoc formidant, nonne fide justificante jam carent, quæ certa et firma notitia divinæ benevolentiae esse debet?

## CAPUT XI.

*Refelluntur objectiones adversariorum.*

Objiciunt adversarii pro fide sua speciali primo, testimonium illud ad Hebr. xi. quod nos etiam primo loco adversus eos attulimus. Nam cum definitur fides sperandarum substantia rerum; contendunt per substan-

(1) Psal. IV, 6; Eccl. II, 6; Ose. XII, 6; I Joan. II, 28; Ibid. III, 21; II Pet. I, 40. — (2) Rom. V, 1.